DE

PARACELSO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. APRILIS A. MDCCCXLVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Joann. Gust. Car. Meihsner

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. REICHER, med. et chir. cand.

J. LUCAS, med. et chir. cand.

G. GŒRITZ, phil. cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

„Das System des Paracelsus gleicht einem Baume, der, der Zeit ihren Zoll pflichtend, mit knorrigen, zersplitterten Aesten und zerklüfteter, erstorbener Rinde, von Aftergebilden bedeckt, zum grossen Theile vom Wurme zernagt, krumm und verwachsen auf nacktem Felsen hängt, der aber zugleich noch im Innern lebendes Mark und in diesem eine Fülle schaffender Gewalt beherbergt und Früchte treibt, die die Enkel des Pflanzers erfreuen und laben."

Ferd. Jahn
in Hecker's literar. Annalen.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Medium aevum, adolescens illa generis humani aetas, indolem distinctam sibique propriam naturam exhibuit eo, ut antiquitatis placita bona fide, qua solent adolescentes, repeteret. In antiquorum auctorum scriptis scientiam ad omnia tempora perfectam esse reperiendam persuasum habebant. Sed haec ipsa repetitio, vita sensuque carens, quod vere boni praestiterant veteres, sensim sensimque ad vanarum formularum speciem deduxerat. De sensu ne sermo quidem fiebat. Terminis antiquis orationisque flosculis refertissimus quisque honoratissimus erat. Praecipue vero perversa haec imitatio in medica arte ibique maximo cum detrimento apparuit. Qui enim medio aevo exstiterunt medici, naturae observatione plane neglecta, e Galeni Avicennaeque scriptis, saepius insuper non recte intellectis, unica scientiae nutrimenta hauserunt. Adesae doctrinarum ruinae, e Graecia et Oriente depromtae, confusaeque cum theosophia, cabbala et scholasticis minutiis, medii aevi artem medicam composuerunt. Motu quodam excitanda erat sta-

gnans ista palus, ne omnia perderentur. Huic rei perficiendae par erat Paracelsus. „Ein neuer Prometheus, warf er in die alte tausendjährige galenistische Nacht helles Licht. Die Zwingburg der Aerzte, an der Tausende tausend Jahre lang gebaut, befestigt und geflickt hatten, zerstörte er allein von Grund aus“ (1).

Egregias illas res, a graecis autoribus, naturalis philosophiae peritissimis (Platone, Hippocrate) in lucem editas, sed ab imbecillorum turba sepultas, ad debitam gloriam et existimationem restituit. Cum hoc viro exstitit reformationis aevum, quod facultates sibi confidentes et sufficientes ad procreationem novarum rerum ultra molem antiquitus traditam procedentium excitasse, meritum sibi proprium vindicat, quodque simul est virilis aevi, generi humano oborti, haud fallax indicium. Ac primum quidem Paracelsus ad naturam, ut medicinae fontem unice verum, delegavit, plane rejecit umbraticam librorum perscrutationem et ut multitudini hebeti hanc opinionem suam injungeret, Galeni et Avicennae scripta in foro Basileensi publice concremavit. De hac persuasione sua ipse haec disserit: „Exercitatione et experientia nascitur medicus; quis enim doceri se pateretur experientiae cognitione e charta? Charta enim id proprium habet, ut segnes reddat et somniculosos.“ (Paracelsi Opp. I., 267.) —

(1) Ferd. Jahn l. l.

„Aegroti vero esse debent medicorum libri. Legendo nunquam factus est medicus, sed agendo.“ (III., 301.) — „Quodsi latine, graece, hebraice legere sufficeret ad medicum efficiendum, jam singulum quemque sola Livii lectione bonum imperatorem fore opinor.“ (I., 332.) — „Non fama, neque audiendo, neque legendo doceri debemus medicam artem, sed discere debemus, quomodo didicit primus. Quem qui docuit, nos quoque doceat, natura sit sola magistra.“ (I., 26.) — „Qui potest medicum laudare naturae indolem ignorantem neque perspicientem? aut quis ei confidet? Quandoquidem non esse debet medicus, nisi naturam expertus, doctusque ejus virtutes, indolem atque rationem.“ (II., 68.) —

Hippocratis magnam existimationem ostendit; sic nominat eum artificem, ex quo medicinae animus locutus sit. Postea vero omnia utilia iterum deperdita esse „durch Sophisterei, Disputiren, Poëterei in der Arzneikunde, durch Rhetorisch-Receptschreiben und Nebularisch-Präpariren.“ — Sed vehementes iracundiae imbres effundit in Galenum et Avicennam. „Galenus ne unum quidem experimentum ipse fecisse gloriari potest, sed omnia didicit ab aliis. Omnibus in rebus contra naturam pugnat, ideoque mendax est (III., 647.), qui nihil scit, nisi margaritas collectas in silices commutare.“ (III., 194.) — Eodem modo Avicennam mendacem esse affirmat, „cujus doctrina sit ut ignis in mari; quia non ipse invenerit ar-

tem suam, sed ut sollers sophista composuerit.“ (III., 194.) —

Utrique viri quum summo studio et amore praeter modum colerentur, fieri non potuit, quin Paracelsus damnaretur et in haereticorum numero haberetur. Medium vero aevum ad indulgentiae leges exsequendas minime erat idoneum. Ideoque Paracelsus per totam vitam invidia, odio, persecutionibus vexatus est, paucis tantum otii momentis tranquillo animo gavisus. At cum inimicorum invectivis miserum in modum agitaretur, major utique erat collaudationum ab amicis factarum miseria, ita ut hac de re merito potuisset dicere: „Deus tueatur me ab amicis, ab inimicis ipse tuebor.“ — Infestissimo animo contra eum efferuntur ipsi populares ejus, Erastus, Gessnerus, Conringius et nostris temporibus Zimmermann.

Sed aeque ac vir quisque prae ceteris excellens, Paracelsus quoque saeculo suo debitum reddidit, quippe qui sympatheticarum et magneticarum virium somniis deditus esset. Neque alias res praetereamus, quae clarae ejus imagini tanquam umbram praetexunt; sic commemorat animalia, quae per os concipiant, basiliscos, solo adspectu mortem inferentes, ranas simul cum pluvia de coelo decidentes, homines natos ex animalibus. Mulierum menstrua venenum opinatur perniciosissimum, unde omnes pulices, araneae, forficulae auriculariae, onisci, aliae bestiolae molestae oriantur. Fimum equinum adhibet, ut variis operatio-

nibus chemicis e semine virili homo [homunculus, Alreona, Mandragora qui dicitur] progignatur, unde gigantes, nani, nymphae progrediantur.

Ad scripta Paracelsi quod attinet, non tam systema efficiunt varium et multiplex, scientifica arte excultum, quam ipsius naturae procreationi cuidam in naturali simplicitate sunt comparanda. Simul omnibus istis anomaliis et explicationibus monstrosis a norma recedentibus affecta sunt, quae in rebus natura productis fortuito reperiuntur.

Maxime discessit a veteribus eo consilio, quod de rerum particularium et sub sensus cadentium studio minus sollicitus, unitatis potius et universalis legibus constituti ordinis cognitionem potentiorem reddidit. —

VITAE EXTERNAE CONDITIONES.

Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus Bombastus ab Hohenheim millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, eodem quo America detecta est anno, in urbe Einsiedeln prope Turigum natus est e medici matrimonio cum muliere, cui valetudinarii cura et custodia fuerat delata. Primum a patre, tum ab episcopo Eberardo Paumgartner et Matthaeo Schachtio ad artem medicam, alchemicam, chirurgicam institutus, sedecim annos natus academiam Basileensem frequentare coepit. In chemia abbatis Trithemii et Siegmundi Fuggeri institu-

tionibus usus est. Tum profectus est ad Germaniam, Italiam, Franco-Galliam, Daniam et cum principe quodam tartarico praeter Moscoviam Constantinopolin pervenit. Anno millesimo quingentesimo vicesimo septimo primum Basileae lectiones habuit physicas, medicas, chirurgicas.

Unde fuga salutem petere coactus, post multas persecutiones demum otium reperit Salisburgi, ubi anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, nondum transgressus quadragesimum octavum vitae annum, quaestus invidia ex insidiis necatus est. Scripta ejus, excepto opere chirurgico, post mortem a discipulis: Dornaeo, Thurneysserio, Severino edita sunt, qui tamen adeo confuse id effecerunt, ut paginae integrae vel sententiae desint, arbitrariorum contra additamentorum larga copia reperiatur.

VITA INTERNA.

Quod Paracelsus secutus sit artis medicae principium, paucis verbis comprehensum hoc fere videtur:

Organicam naturam in explicatione prorsus naturali, physiologica quae dicitur, e germine vel semine intrinsecus proficiscente percepit; omnes singulas facultates, hanc explicationem efficientes disjunxit, personarumque specie induit, tali modo disjunctas in mutua ratione sua, nominatim vero macrocosmi relationem et microcosmi contemplatus est.

Ubique naturae processus, qui sub sensus cadunt,

ejusque ideam, quam objectivam solemus dicere, amplexus, cognitionem ex suo ipsius animo haustam inde depromit. Haec vero rerum singularum naturam adspectui comparando submittere studet, ita ut comparativum totum systema nominare liceat. Quaecunque aut vera aut falsa protulerit, ex his comparationibus omnia emanant.

DE EIUS PHILOSOPHIA.

Aliarum doctrinarum ministram putat philosophiam, quam cum astrologia, cui astronomiae nomen dat, et alchymia arctissime conjunctam, medicae artis basin existimat.

„Prima medicinae columna est philosophia, nam ex macrocosmi tantum natura ejusque cum microcosmo connexu homo cognoscitur. At quid est philosophia, nisi natura invisibilis? quid natura, nisi philosophia?“ (I., 285—211.)

Secunda medicinae columna est astronomia, superior enim philosophiae pars est et superioris firmamenti cognitio sola de interiore hominis firmamento, illi respondente, nos instruit, atque ostendit, quo modo in hoc continuam efficaciam suam illud exerceat, unde morbi nostri gignantur. (I., 212—217.) Tertia medicina columna est alchymia, sine qua medicaminum praeparatio fieri nequit; natura enim sine arte uti non possumus. Quare est alchymia, quae quod natura procrescit, in hominum usum tale reddit, quale

destinatum est a natura. (I., 219.) Medicamenta creata quidem sunt a deo, sed non ad verum usque usum perfecta. Ars demum ad fruendum ea accommodat. alchymia in succum et sanguinem convertit. (I., 271.) Philosophia, Astronomia et Alchymia non tres sunt artes, sed una. Unum efficiunt virum, non tres, quare qui in uno tantum stat, vanus est et ineptus.“ (I., 371.)

Nostro igitur autori philosophia est omnium rerum naturae cognitio, et naturae fundamenti, quam nunc physiologiam dicimus. Omnes res positae sunt in cognitione, unde tum fructus oriuntur. Qui non cognovit, non amat naturam. (II., 231.)

Investiganti patere debent hominis membra, haec non minus translucida habere debet quam crystallum perpolitam, ubi ne criniculus quidem queat abscondi. Haec cernitur philosophia, cui superstructa est basis medicinae. (II., 24.)

Naturae processui universalem ideam, rationi congruam subjectam esse cognoverat, ejusque intellectum esse philosophiam. „Haec natura talium rerum conscia est sibi omnibusque rebus rationem supponit apparentem. Ex hac ratione apparente instituitur medicus.“ (II., 23.)

„Qui per philosophiam non penetrat medicus in medicam artem, non recta intrat porta, sed desuper de tecto, unde proficiscuntur homicidae et latrones.“ (III., 72.)

COSMOGENIA.

Efficax in mundi creatione erat numen divinum Yliaster, vis primaria. Sua voluntate facta est creatio, verbo Fiat, quasi halitu existeret domus. (II., 18.) Facta creatione Yliaster divisus est, et diffundens ad naturam primariam se explicuit, Ideon (limbum majorem). Haec natura primaria constitit ex efficacia et materia vitali. In hac tres materiae elementares, sal sive balsamus, sulphur sive resina et mercurius sive liquor et elementa inde composita omnesque ceterae res inerant, quanquam non actu sed potentia, ut in ligno effigies inde sculpenda, in silice ignis inde eliciendus. — Ubique terrarum haec rerum trinitas cernitur eodem quo in materiis primariis modo. Fiat erat triplex, sed idem triplex semen quodque; homo e. g. ex ossibus, carne et sanguine compositus est. (I., 74.) Tres sunt matrices: aqua; — limus terrae, matrix primi hominis; — ex mari femina, ut omnium sequentium hominum matrix. (II., 74.) Unde tres mundi oriuntur, magnus (terra coelumque), parvus (vir) et minimus (femina). Omnes tres unam tantum efficiunt creaturam, sed compositionis e tribus primariis ortae ratione differentem. (II., 69. 71.)

PHYSIOLOGIA.

Paracelsus erat primus, qui hujus doctrinae semina jecit; ex ejus principiis activae medicinae prin-

cipia derivare voluit. Veteres omnia, quae in organismi et rerum extra nos positarum vitis apparuerant, ex iisdem universalibus physicae artis principiis explicuerant. Paracelsus organici processus cognitioni ex ipso organismo haustae medicam artem superstruxit. Qua in re anatomiam minus eum consuluisse dolemus, quamquam neutiquam sprevit eam, quod contendunt adversarii.

Natura ei unum et universale quoddam est, organismus, cujus singulae partes congruant atque consentiant. Macrocosmus est. „Omnia unica creatura sunt.“ — „Macrocosmus et homo unum sunt.“ — Ad Platonis Timaeum hoc animum advertit, ubi mundus universus nominatur vivum animal ratione praeditum et ortum divina providentia. — Homo recte cognosci nequit, nisi in totius reliquae naturae connexu. Medico igitur primum est philosophia, in qua Paracelsus perfectam cernit rei scientiam et cognitionem. (I., 206.)

Philosophus aptus esse debet, qui terram coelumque in microcosmo demonstret. At abstinere philosophia a cogitationibus et speculatione, et in contemplatione tantum et studio naturae acquiescere debet. „Omnis cognitionis verum fundamentum est in experientia cum scientia conjuncta; theoria et praxis iisdem vestigiis progrediantur necesse est; utraeque enim aut verae aut falsae sunt, quoniam theoria nihil est nisi exercitatio speculativa. (I., 616.)

In rerum natura nihil mortui agnoscit; omnia organica sunt et viva, quare, quod diximus, mundus unum et magnum animal (ζῶον) apparet. „Nihil est corporeum, quod idem spiritum in se occultum non habeat et ducat; nihil est, nisi occultam habet vitam et vivit. Neque vero id tantum vita est praeditum, quod agitur et movetur, ut homines, animalia, terrae vermes, sub divo volucres, pisces in aqua, sed omnes res corporeae et existentes.“ —

Demori animantia, nihil est nisi relabi in matris gremium, et „deleri priorem naturam reprimique ad alteram generandam recentiorem.“ Quare in unaquaque re duplex ratio in cognitionem intrat: materia et actio. Haec nihil est nisi emanatio numinis divini, „omnes enim res fuerunt invisibiles penes Deum, in quem omnes revertuntur et unde omnibus creaturis suum cuique effluit.“ — Hanc ut spiritum naturae, ratione praeditum, sensibus comprehendere conatur et distinguens, ut personas, singulos spiritus elementares (Saganas) nominibus appellat pro sede diversis: spiritus aëreos sive sylvanos (lemures), aquarios sive nymphas (Undinas), gnomas sive Pygmaeos, salamandros sive Vulcanos, Gigantes (in lapidibus), Durdales (in arboribus), Melosinas (in hominum sanguine) et in ipso homine Archaeum.

Sic etiam omnibus in rebus, id quod chemia docet, eadem sunt principia: „Sulphur, Mercurius et Sal, haec vera materia, qua universa animalia, et tandem

ipse homo quoque, condita sunt." — „Sal, Sulphur et Mercurius, haec tria sunt rerum omnium principia et prima materia." — Harum trium rerum in vita existentiam ut explicationis unitatem considerat. — „Quodque corpus in tribus rebus consistit, in sale, sulphure, mercurio, corpus nominantur haec tria composita, quibus nihil nisi vita additur; sic invisibili modo tres habes substantias sub una forma." — Haec unitas vita destructa tantum desinit, ejus cognitio igitur unice explicatione per morbos et dissolutionem limitatur, „hae enim res (substantiae) corporis vita occultantur, abeunte vita patefiunt." — His tribus concordantibus neque separatis bene stat valetudo; sed disjunctis et separatis, altero putrescente altero ardente etc. initia spectantur morborum." —

Processum chemicum igitur in organismo vi vitali ligari cognoverat Paracelsus. Caeterum sub sale, sulphure, mercurio non res concretas eas, quae his nominibus solent significari, intelligit, sed symbolice quodcunque facile exardescit, ut sulphur, quod dissolvitur ut sal, quod diffugit, ut mercurium denotat. — „Res vero ut comperias, ligni truncum sumas, corpus est; concremari facias, id quod ardet est sulphur, quod fumat mercurius, quod in cinerem convertitur, sal." (I., 895.) —

In plantis et animalibus partim alia nomina illis principiis tribuit. Sal in plantis balsamum, in animalibus est tartarus; sulphur, in plantis resina, in ani-

malibus est mumia. Mercurius in plantis Gotaronium, Realgar est in animalibus. Omnibus igitur eadem vi et materia praeditis, quaeque res alii est intime cognata et re vera eadem, „sola forma discrimen facit.“ — Singularum rerum discrimen tantum fit superiori inferiorive gradu, quem singula quaeque in rerum ordine occupat. Omnium terrestrium summa est homo, in quo natura inferioribus explicationum gradibus tentata quaeque perfecit. Omnes in se homo mundi vires et materias communicat, et mundum per se format; est microcosmus. „In eo insunt omnia coelestia, terrestria, undosa et aëria.“ — „In alio genere aliud, sed omnia in homine.“ —

ASTRONOMIA.

Sic Paracelsus scientiam nominat in comparando microcosmo et macrocosmo versantem, ut illius priori loco nominati naturam physiologica ratione dilucidet. Uterque mundus ut per se constans, et alter ab altero non dependens consideratur. „Quoniam homo par factus est astro, astrum ante eum, hic ex illo; paterni labores inesse debent in filio. (II., 48.) — Amplius de relatione cum macrocosmo haec disserit: „Sicut luteum in ovo dimoveri nequit in neutram partem, sed in medio liquido permanere coactum est, sic etiam eademque vi terra cum aqua sua adeo immota permanere cogitur in liquido suo, quod nemo videt,

nemo arripit, sed adest, et liquidum est, quod portat terram, est chaos. In hoc versamur eodem modo, quo pullus e liquido labitur, non ex luteo, et vita est in liquido et ambulatio, in quo fit et vivit. Scitote igitur, nos homines quoque, ut pullum, in tali chaote versari et vivere." (II., 125.) — „Homines et creaturae morti obnoxiae licet non perstent sine astris, tamen per ea non fiunt. Semen quod in agrum inseritur, per se ipsum fert fructum; sed sole non existente profecto non cresceret!" (I., 14.) —

Eadem macrocosmi et microcosmi ratio in muliere repetitur et utero, qui est microcosmus in microcosmo. „Pari modo res se habet in matre, quod femina integra est matrix, ex omnibus enim membris hominis ager depromtus est." (I., 206.) —

MAGICA ARS.

Astronomiae pars consideratur magica, quae totius partium analysi ad relationum idealium et conjunctionum comparationem ideoque ad internae naturae cognitionem perducit. „Magica enim (Kabbalistica est species magicae) est anatomia medicinae, simili modo quo lanius bovem dissecat, et quodcunque in eo in est videmus, et quomodo est; id quod per corium non est videndum. Sic magica dissecat omnia medicinae corpora, quibus insunt remedia." —

ALCHYMIA.

Hoc nomine non comprehendit auri parandi artem, id quod solebant coaevi ejus comprehendere: sic enim loquitur: „Non ut qui dicunt, alchymiam aurum efficere; hic est propositum: arcana efficias et effecta dirigas contra morbum.“ (II., 65.) — „Quare circumscribit eam ut modum praeparandi rerum medicinalium.“ (II., 79.) — „Et sicut gallina figuratum in testis mundum incubando commutat in pullum cum omnibus pennis, sic alchymia maturantur arcana.“ (II., 30.) — „Natura nihil in lucem prodit, quod suo loco perfectum sit, sed homo perficere debet. Haec perfectio est alchymia.“ (I., 346.)

Annotandum videtur, alchymiam ut artem distincte disjungi Paracelso a processu alchymico, quem ut principium rationale personae specie induit. „Archaeus est alchymista.“ —

GENERATIO.

Et marem inter et feminam in generatione Paracelsus similem statuit efficientiam mutuam, quam macrocosmum inter et microcosmum. Mutua haec utriusque efficientia attractione fit. I., 346. E liquida substantia animali ubique in corpore dispersa sic dissociatur semen, ut ignis e ligno. Dissociatio tanquam digestione fit, quam pubertatis tempore efficientia excitat in nobis mulierum, ut sol lignum, efficax in eo,

ardere facit. Ad formandum semen quum omnia organa, omnes vitae functiones, contribuant, in universali seminis humore quae pertinent ad hominem, omnia insunt, semina capitis, cerebri, nasi, oculorum etc. — Mulier, „quae mundo est propior quam vir“ ager est, in quem viri semen injicitur. Nutrit, explicat, maturat semen, quod ipsa proferre nequit.

Semen vero omnibus ex partibus effici, inde liquet, quod homines deficientibus singulis organis nascuntur. Nam quum hoc vel illud organon in seminis formatione non coëffecerit, hujus semen abest in liquido illo, et in matre ad parem formam explicari nequit. Eadem apparet causa membrorum, consuetum numerum excedentium, ubi singulare organon nimis efficax fuerit. Liberorum similitudo et parentum posita est in matris cogitationibus. Gemini oriuntur. quum uterus semen duobus tractibus adducat etc.

ASSIMILATIONIS PROCESSUS.

Assimilitationis processum ut regenerationem contemplatur et generationem continuatam, unde omnia membra per se explicentur. „Quare non sufficit hominem natum esse ex matre sua, sed aequo modo e nutrimento suo.“ (I., 99.) — Haec regeneratio non minus in singulo quoque membro procedit, quam in ipso stomacho. „De stomacho discite vehementem esse ardorem; hic excellenter fervefacit et coquit, haud

impar profecto igni externo. At non idem hic solus est, sed quodque membrum hujusmodi stomachum et in se ipso habet." (I., 110.)

Distinctius exhibetur assimilationis processus ut organismi certamen cum mundo externo, in quo utrique, et cibus et microcosmus, ut per se existentes et mutui in se destructiva ratione efficientes, cogitantur. Digestio ita fit, ut alchymiae processu e nutrimento per se non venenato separetur et venenum et salubre, quod efficitur Archaeo. Hic quando fungi munere nequit, morbus adest. „Quodsi alchymista impeditus est et haerens, ita ut venenum perfecta ratione artifica a salubri discerni nequeat, ideoque e veneno et salubri fiat confusa putrefactio, id est quod indicat nobis hominis morbum." (I., 29.) —

PATHOLOGIA.

Paracelsum vitae processus in sana conditione adumbrationem synthetica ratione, procreatione et variorum membrorum explicatione ex unitate seminis considerata, exhibuisse, jam vidimus. Ut destruendae totius harmoniae initia comprehendat, analyticam viam ingreditur et corpus formari statuit e compluribus substantiarum ad unum quoddam compositione, quibus dilabentibus morbi oriantur. Hoc idem jam supra digito attigimus. Rationem, qua tres illae substantiae in morbi processum transeunt, ut sua sponte et pro-

pria natura factam demonstrat, ita ut extrinsecus incitentur tantum ad efficaciam. „Primum est sulphur, discite igitur hoc non sua sponte ingredi in malum suum, nisi sit astrale, i. e. ignis scintilla injecta, masculum fit.“ (I., 78.) — „Jam igitur de sale sic ducendum est. Humor martialis est per se, neque efficit morbum, nisi adsit astrum. Hujus astrum est resolutio. Idem de mercurio intelligendum; non est masculus, neque surgit, nisi solis astro sublimis redditus.“ (I., 79.) —

Ipsius morbi ex his substantiis formatio eadem comparatur cum organismi e germine quodam explicatione. Morbum e veterum medicorum qualitatibus, quae dicuntur, aliquem oriri posse, prorsus negatur, quippe quum merae hae qualitates movere nequeant spontaneos effectus processumque continuum. „Ergo sicut exemplum auditur de concordiae foedere a multis inito, quo fracto, hic vel hi, inquis, fregerunt, neque choleram id peregisse contendis neque phlegma, sed hunc virum.“ (I., 77.) — Porro: Veterum qualitates, ubi in morbo cernuntur, sunt modo morbi signa, non ipse morbus. „Hoc negari nequit, morbus aut calidus sit oportet, aut frigidus, quidnam enim est sine coloribus? — quamquam hoc nihil est nisi signum, neque vero ipse morbus.“ (I., 84.) —

Qualitates et humores iis affecti, quum a morbo tantum producantur, vel post remotum perstare pos-

sunt. „Quos tu nominas humores, non sunt morbi; sed morbus est, qui eos efficit. Quomodo igitur medicus morbos quaerere poterit in humoribus, eorumque origines indicare ex his, qui e morbo nascuntur, neque morbus ex illis?“ (II., 134.) —

Morbi processum cum planta e semine suo procrescente comparat et morbum cum arbore fructifera „quique enim morbus e semine existit et adultus ut arbor est frugum plena; ensis est vulnerum suorum semen.“ (II., 226.) — Corpus aegrotum est terra, unde procrescit morbus.

Ortus est morbus e singulae principalis substantiae praedominatione. Sulphur plurimas febres gignit; magis internum, sal et mercurius magis externa organa afficit. Etiam efficere potest icterum, pleuritidem et prosopalgiam. Mercurius praeponderans maniam movet, phrenitidem, apoplexiam. Sal gignit podagram, intestinorum obstructiones, fistulas, scirrhum et scabiem.

Forma, qua morbus apparet, duobus momentis limitatur, et organismi organique affecti natura et indole nocendi virium moventium. „Sequitur inde, alium morbum inesse ossibus, alium carni, alium sanguini; sicut alii vermes procrescunt e ligno, alii ex herba, alii e foliis.“

Prout igitur morbi aut cosmicis aut psychicis aut alimentariis aut venenatis aut alio modo apparentibus

potentiis provocantur, quintuplices eorum origines sunt discernendae, quas Paracelsus entia nominat. Sunt enim: ens astrorum, veneni, naturale, spirituale et deale. Astrorum eas constat in adjuvante astrorum coëfficientia ad morbos excitandos, aëris contaminatione et infectione.

Alia astra sulphure implent aërem (mare magnum), alia arsenico, alia sale, alia mercurio. Paracelsus igitur erat, qui epidemicae constitutionis doctrinam in medicam artem induxit. (I., 8—21.) —

Sicut morbus id intendit, ut cum vitae damno se ipse conservans, illam destruat, sic vita in morbo servare se ipsam et morbum impugnare studet. Continua sane reactionis in corpore aegroto existentia vera est conditio, sine qua fieri nequit sanatio. „Quam primum morbus inest in corpore, omnia membra eum impugnare debent, neque unum solum sed omnia, omnium enim mors est morbus. Quod quum sentiat natura, quibuscunque potest viribus contra morbum oppugnat. Morbo vincente incidit mors, vincente Archaeo sanatio consequitur. Quae de morbi organismo restant, in crisi e corpore efferuntur.

Seminum morborum duplex est genus, hereditarium et non heriditarium. „Duo sunt semina morborum, semen iliastrum et semen cagastrum. Id est, aut ab initio semen creatum est, ut pomum, nux, pirum, sic est iliastrum. Hujusce morbi sunt: hydrops, icte-

rus, podagra. Aut e corruptione ortum, est cagastrum. Hujusce morbi sunt: pleuresis, pestilentia, febres; omnes praescriptiones, semini non oppositae, falsae sunt et vanae." (II., 234. 240.) —

Nullum vero morbum corpoream quandam speciem habere, sic comprobat: „Scitote, aërem et ignem non esse corpora quae possint comprehendi, sed quae sentienda sint et videnda. Sicut igitur in coelis, sic etiam in homine, hujusmodi corporibus morbi affecti sunt." (II., 46.) — Nihilominus tamen nihil derogat morbo de propria sua existentia, sed ipsum nominat microcosmum in microcosmo. „Microcosmus ergo alter cum altero in tali morbo inest, corpora habet duo, unus est homo."

Morbi exempla sua habent in macrocosmo; „terrae motibus, inundationibus etc. similes sunt morborum processus, consensione microcosmica." Apoplexia ad fulguris similitudinem accedit, ad terrae motus epilepsia, inflationes comparandae sunt ventis, concrementa grandini, nivi, pruinae formationi, creationi aërolithorum. Scirrhorum aliorumque tumorum formatio et diffusio similis est aquae congelatae et regelatae; ulcerationes metallorum rubigini etc. — Sicuti in novis organismi mundari formationibus e. g. insularum, impetuosae motiones accidunt, sic febres oriuntur in morbi processibus explicandis.

DE TARTARO.

Omnibus rebus inest venenum et essentia. Illud in alimentis digestione, in aëre pulmonibus ab utili secernitur, et excretionis organis per Archaeum removetur, utile assimilatur. Hoc secretionis et transformationis processu perturbato, in corporis humoribus, nominatim in sanguine, limosa quaedam et terrena materia, terrenorum salium plena colligitur, quae est tartarus. Aucta in organismo excretionis actio ejicit tartarum; quo contra accumulato in corpore, vehementibus et impetuosis natura utitur operationibus, i. e. tartaricis aut podagricis paroxysmis, ut frigore et calore morbi materiem e sanguine, tartari instar e vino fervente in cupa disjuncti, segreget et extra, ad dentes forte, aut intra, ad partes solidas deponat. Hereditarius est hic tartarus et causa praecipua ilei, podagrae, chiragrae, coxalgiae et ischiadis. Postquam evanuerunt humores, e salibus tantum constat, et tum nodos arthriticos, variosque calculos format. Arthriticae affectiones sanantis naturae opera sunt consideranda, quae in iis purgatur. Tartari existentia ex urinae sedimento est cognoscenda.

THERAPIA.

Ex Paracelsi opinione naturae vis sanans nil fere commune habet cum medicina; tum enim incipere medici officium, quum naturae vis morbum expellere

nequeat. „Homo natus est ad procidendum, sed duos habet, qui eum resurgere faciunt. Internus enim medicus et medicina interna cum illo in conceptione nati sunt. Postea hoc medico nesciente mederi, et incipiente ruina, destructor crescit, conservator decrescit, ad quod est praedestinatus. Ubi hujusmodi est et detractio in conservatore, et auctio in destructore, externus medicus providere debet et delere destructorem et ingredi quibus conservator desiit vestigiis. Medicus extrinsecus natus defecto tantum innato, incipit.“ (II., 223.) — Sanaturus igitur bona valetudine utitur in corpore adhuc reliqua, ut cum ea contra morbum instruat aciem, cavetque ne alterum recentem jam praesenti morbo addat. Sic idem arte processus elicitur, quo aliis occasionibus ad sanandum morbum sponte utitur natura. Paracelsi itaque medendi ratio per medium efficax est, arte enim moderatur et sublevat sanationem, bona illa agentem valetudine, quae in quoque organismo aegroto adhuc superat. In curando morbo, cui non medetur natura, illud veterum principium, oportere medicis rebus inesse virtutes (qualitates quae dicuntur) morbo contrarias, ut plane falsum rejecit. Vera medicamina esse arcana. „Contraria a contrariis curantur, id est, calidum expellit frigidum. Falso! Sic contra dicendum: Arcanam est sanitas et aegritudo contraria est sanitati, altera alteram semper morte expellit.“ (II., 39.) —

Arcanum non intelligit remedium ignotum, sed specificum, medicamen, quod contra morbi speciem, non contra qualitates intendi debeat. Qualitates ut sola morbi symptomata considerans, principium illud: contraria a contrariis curantur, nihil putavit, nisi curam symptomaticam. „Sic arcanorum virtutes proficiunt, ut naturae sint contra hostis indolem directae, ut contra gladiatorem gladiator. Sic vos pugnetis natura vult, dolus contra dolum adhibeatur. Ut hostis hosti infertur, uterque frigidus, uterque calidus, loricatus uterque et armis pares incedunt.“ (II., 55.) —

Inde et instrumenta chirurgica nominavit arcana. — Medicaminis molem ut involucrum tantum arcani contemplatus est, ipsum involutum dixit materiae expers. „Quod enim videmus, non est medicamen, sed corpus videmus, quo inest. Elementorum enim arcana sunt sicut hominum invisibilia; quod videtur, externum est et ad illa non pertinens.“ (II., 44.) — Medicaminis vis est arcanum. Hanc vim personae forma induit: „Nam sicut morborum homo in homine jacet et inest, sic in re medicante idem inest homo, manibus pedibusque, capite, ventre, oculis, omnibusque rebus praeditus.“ (V., 307.) — Haec vis rationis particeps generationis processu explicatur, quem Paracelsus tum comparat cum materiae formatione, quae fit per incrementum plantarum naturale (II., 71.), tum cum animali (ultima materia), e priori forma

(prima materia) proficiscente, rerum fermentatione et putredine. (I., 92.) —

Cum doctrina de arcanis altera conjuncta est: de signaturis. De externis concluditur ad interna. Macrocosmi vires moventes signa animalibus, plantis, metallis apponunt talia, ut ex eorum forma, colore, maculis, sapore, cavis, sulcis, de conditionibus et virtutibus internis concludere liceat; e. g. cervi cornuum numerus animalis aetatem indicat. Simili modo rerum medicarum quae sint virtutes, cognoscere licet e forma externa, e signaturis. Sic orchideis propter radicem testiculis similem efficientiam adscribit in genitalia, chelidonio contra icterum, carduis contra pleuritidem etc.

Hanc similitudinis theoriam Paracelsus medicamentorum signaturas inter et morborum origines valere voluit. Qua de re e discipulorum suorum numero, Oswaldus Kroll: „morbos sanare, inquit, aut est naturae defectum supplere, aut removere superfluum. Ipsa natura hoc fungitur officio, quamquam interdum destituitur viribus. Quae igitur res easdem, quas natura debet vires adhibere, in se ferunt, ideoque illis viribus sunt similes, medicaminum loco inserviunt. Sananti naturae virtuti similia igitur contraria sunt morbo. Quorum indole quum corroboretur natura, tanto vehementius expellit hostem.“ —

Secundum hanc unam vim rationalem et medicas res simplices postulat, omnesque compositiones rejicit. „Desperata enim spes, inquit (II., 35. III., 66.), illa est sententia, tot simplicia componere in una formula. O miseram compositionem! Haud secus est, ac si alterum lutum corrumpere alterum et turpe reddere oblivisccerentur.“ Breves, simplices et concisae scribendae sunt formulae et componendae, neque longum recipe theriacum, neque syrupi insint, neque alia ejusmodi, quae anatomiam continent nullam, sed phantasiam.“ —

Arcanorum vim in corpore et effectum putavit omnium aegrotarum substantiarum consumtionem et corporis reproductionem.' „Mercurius vitae. tertium arcanum, quomodo agat, in effectu ostendit; sicut alcedo anni tempore suo pennas dejicit, novisque ornatur, sic ab homine rejicit ungues, pilos, cutem. et quidquid immunditiae est, denuo crescere facit.“ (VI., 45.) —

Quatenus morborum processus ut singulares et sua sponte agentes considerat Paracelsus, orientes e semine, tum ad explicitam totalitatem. quae dicitur. se excolentes, duo curandi genera discernit, quorum alterum contra germen dirigitur, alterum contra morbum excultum. Morbo non jam perfecto ne sit incipienda curatio, qua damnosa interpellatio oriretur. sanationem non admittens.“ (V., 342.) —

Sicut ubique Paracelsus naturam rerum ex ipsis earumque internis conditionibus, non ex alienis viribus et qualitatibus enucleavit, sic idem fecit in animi morbis. Vesaniae causam veteres posuerunt in atra bile, Paracelsus in animo ipso. A veteribus adhibitum est medicamen hellebori, rationis a Paracelso: „Sic regula concisa est haec una, ut frangas mentem bestialem.“— „Repellas eum de mente bestiali, excute animi tenebras, instrue eum.“ (IX., 22. 23.) —

VITA.

Joannes Gustavus Carolus Meihsner natus sum Berolini die X mens. Semptembris a. MDCCCXXIV patre optimo C. Meihsner, matre carissima Carolina, e gente Ploessl, quos adhuc vivos ut diu conservet Deus Optimus Maximus, precor. Fidei evangelicae sum addictus. Primis literarum elementis domi imbutus, undecimo aetatis anno Gymnasium nostrum Coloniense adii, quod sex annis peractis, adversa valetudine tentatus, reliqui. Recreatus quiete Gymnasium Gryphiswaldense petii, ubi sub auspiciis Cel. Directoris Dr. Glasewald, viri maxime reverendi, maturitatis testimonio sum ornatus. Anno hujus saeculi quadragesimo tertio Berolinum me contuli, ubi ab Rectore t. t. Magnifico Raumer inter civium universitatis Fridericae Guilelmae numerum receptus, a Decano spectatissimo Ill. Mueller albo gratiosi me-

dicorum ordinis inscriptus sum. Ex quo inde tempore hisce virorum doctissimorum lectionibus nec non exercitationibus clinicis me interfuisse laetor:

Cel. Hotho de aesthetice;
Clar. Werder de logice;
Ill. Boeckh de philologiae encyclopaedia;
Beat. Dove de physice experimentali;
Ill. Mitscherlich de chemia experimentali;
Ill. Kunth de botanice;
Ill. Lichtenstein de zoologia;
Ill. Weiss de mineralogia;
Ill. Hecker de medicinae encyclopaedia; pathologia generali; historia medicinae;
Ill. Mueller de anatomia corporis humani; anatomia organorum sensuum; anatomia comparata et pathologica; de physiologia corporis humani;
Ill. Schlemm, qui una cum Ill. Mueller dux mihi fuit in cadaveribus rite secandis, de osteologia; syndesmologia; splanchnologia;
Exper. Dann de pathologia et therapia speciali;
Ill. Schoenlein de iisdem doctrinis;
Ill. Mitscherlich de materia medica;
Ill. Casper de medicina forensi;
Cel. Troschel de arte fascias imponendi;
Ill. Juengken de chirurgia;
Ill. Busch de arte obstetricia.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis et obstetriciis interfui Ill. Wolff, Romberg, Juengken, Busch.

Quibus omnibus viris, praeceptoribus optime de me meritis summas, quas habeo, gratias ago.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite peractis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Tuberculosis idem est morbus ac scrofulosis.
2. Certum graviditatis signum non exstat.
3. Melius est nil facere, quam sine diagnosi quidquam agere.
4. Medicus naturae minister, non magister est, et cum natura, optima morborum medicatrice, operari et agere debet.